Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 885
Quelle:
Copyright:

ſcopum urbis romę. Adjectum eſt *Damaſi* Reſponſum. Primus has epiſtolas produxit *Godefr. Henſchenius* in *Act. SS. T. I. Aprilis,* et pro ſinceris habuit, in quo ſuffragatorem praeter alios nactus eſt *Lambecium* noſtrum L. II. p. 926. edit. *Kollar. col.* 813. Sed *Emm. Schelſtratius* rationibus jam in prima edit. *Antiquitatis Eccl. illuſtr.* 1678. adlatis permovit *Dan. Papebrochium*, ut in *Propyl.* ad T. IV. *Maji Henſchenii* judicium retractaret, ex quo tempore communi calculo, ſi fortaſſe *Job. Ciampinum* in *Examine Libri Pontif. Sect.* 10. *Romae* 1688. et *Muratorii Scriptt. Ital.* T. III. p. 50. excipias, abdicatae ſunt hae Epiſtolae; cui tamen eas per ſe cognoſcendi eſt animus, adeat *Lambecium l. cit. Schelſtratium cit.* edit. altera *Romae* 1692. T. I. *Diſſert.* 3. p. 347. *Fabricium* v. *Damaſus* &c. Illas continuo jam excipit *Catalogus Pontificum Rom.* pertingens a S. *Petro* ad *Formoſum*, qui ſedem an. 891. occupavit, in quo *Anacletus* a *Cleto* diſtinguitur, *Fabianus* pro *Sabiniano* ſcribitur, ſolique nomini *Hadriani* I. adjicitur haec nota: *Anno DCCLXX.III. Karolus inuitatus ab adriano papa italiam ingrediens. deſiderium regem in papia obſedit. DCCLXXIIII. Karolus papiam cepit, et deſiderium regem in franciam duxit DCCLXXV. Adrianus papa deceſſit in natale domini* (795) *et leo electus conſecratus eſt.* Catalogo ſuccedit miniata haec inſcriptio: *Incipiunt Geſta ſupra ſcriptorum pontificum.* Haec tamen *Geſta* non emetiuntur totum Catalogum, ſed deſinunt in *Stephano* II. qui anno 752. Pontificium cepit. Illorum porro Collectorem non eſſe *Damaſum*, neque omnium autorem *Anaſtaſium* dictum *Bibliothecarium* ſatis inter Eruditos convenit. Variare Exemplaria non tantum, quod progreſſum temporis, ſed etiam, quod res et dictionem ſpectat, facile quivis videt, qui *Emm. Schelſtratii* Diſſert. III. *de antiquis Rom. Pontiff. Catalogis, Antiquit. Eccl. illuſtr.* T. I. *Romae* 1692. p. 327. f. *Job. Ciampini* Examen *ſupracit. Fr. Blanchini* editionem *Libri Pontificalis Romae* coeptam 1718. et IV. *Voll.* f. conſtantem, et *Job. Vignolii* opus idem *ibid.* curatum 1724. III. *Voll.* 4. adierit, in quibus noſtri quoque Exemplaris disjecta membra reperiuntur.

III. *fol.* 31. Acta *S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi* tribus partibus conſtantia. Prima eſt *Vita* hac miniata inſcriptione: *Prologus de Vita Sancti Nykolai.* Initium Prologi: *Glorioſa quidem acta Sanctorum, quibus ab ortu natiuitatis ſuę feliciter domino placuerunt* &c. Finis: *nunc ad narrationis ſeriem redeamus.* Narratio ipſa titulum hunc miniatum praefert: *Quo die Sanctus Nykolaus natus ſtetit in pelvi. Et quod IIII. ieiunavit.* Incipit: *Placuit igitur Redemptori omnium cuidam clariſſimo uiro epiphanio nomine concedere filium* &c. conſtatque Capitibus XXVII. quorum